

VERBA IOANN.

RVSSELLI IVRECONSVLTI PRO SENATV POPVLOQVE EDINBVRGENSI HABITA, AD SERENISSIMAM SCOTORUM Reginam Annam, dum Edinburgum ingreditur 19. Maij. An. 1590.



PROV. 18 22.
Exultantibus iustis amplus est ornatus.



EDINBVRGI
EXCVDEBAT ROBERTVS *Walde-graue* AN. DOM. 1590.
Cum priuilegio Regali.



AD REGINAM ANNAM

EPIGRAMMA.

EN geminis solem hospitio amplectentibus altum,
Et varijs terra diuite graminibus,
Solenni Edburgum ingrederis Regina triumpho,
Et solio Scotis fœdere iuncta sedes.
Atque tui ciues te me præcone salutant,
Exoptant, spondent prospera cuncta tibi:
Et Regi, & populo, & Musis pergata, futuræ
Spem faciens faustæ prôlis, & imperij.
Accipe quod populi est, animum, de more fidelem
Sed tamen hoc nostri tessera amoris erit.

TVAE SERENITATIS. S. H.

IO. RVSSELLVS.





VEBBA IOANN.

RVSSELLI IVRECONSVLTI PRO SENATV POPVLOQVE EDINBVRGENSI HABITA, AD SERENISSIMAM SCOtorum Reginam Annam, dum Edinburgum ingreditur 19. Maij. An. 1590.



Erenissima, Nobilissima, et Illustrissima Regina, omni laudis, virtutis, pietatis ac educationis genere ornatissima, defuncti patris, magni illius Frederici, patris Patriæ, Illustrissimi Danorum regis inclytæ memoriæ Principis, filia, ac spes optima, et domina nostra clementissima: Hodierno die, Senatus, populusque Edinburgensis, quas possumus maximas, Deo OPTI. MAX. vno ore, gratias habemus et habituri sumus: Quod serenissimam vestram maiestatem, toties, et tam diu, nostrorum precibus et votis expetitam, nunc tandem supremo et natiuo Principi nostro, fælicibus auspicijs, & bonorum omnium summo applausu, matrimonio conjunctam. In nostram

 Reipub.

Reip. et posteritatis nostræ, ac finitimorum Regnorum, (quod speramus) salutem perpetuam: saluam et incolumem, cum Serenissimo Rege nostro in Scotiam perduxerit: quoties enim, in plurimas Europæ Monarchias jam inclinantes, penitius introspicimus: quoties Regum & Principum vicinorum lachrimosos exitus, tragicos euentus, et fatales periodos animis reputamus: quoties insignes illas miserias expendimus, quibus Ecclesiæ et Respub. Christianæ, per totum pene terrarum orbem miseris modis convulsæ, afflictę, et labefactatæ nunc jacent: Toties felices nos, et fœlicem Rempub. nostram jure intelligimus, quibus deus pro singulari sua in nos clemen tia, Principem vere Christianum, summa pietate, justitia, virtutis etiam amore, castis moribus et animi candore, ab ineunte primæ ætatis suæ ratione, et primis quasi incunabilis institutum, prę-fecerit. Sub cuius fausto et felici imperio nobis liceat sacrosanctum, et æternum Dei nomen, et filium eius, in puritate Religionis Christianæ asserere, quo regnante, Scotia compositis domi bellis, diuq; peregrinis pulsata procellis, nunc læta caput exerit, nobis enim supremam spondent et promittunt sidera pacem. At nunc multo fęliciores nos censemus, quod eam serenissimus noster, non humano concilio, (sed Deo dante) optato coniugio, in viridante juuenta sibi sociam vitæ et thori delegerit, non quam juberet teneris accensus ardor ab annis: sed quæ pari pietate, virtute,

mode-

modeſtia, et moribus reſpondeat, et virtutem in numeroſam ſobolem propagare poſset, cuius ſexu virtus, annis vero, maior eſt prudentia: formæ et decori accedens pudor, ſceptris coniunta modeſtia, lenis et ſuprema vultus maieſtas, ac continentia, cumque auguſta et rara maieſtate venuſtas, hæc autem omnia exornans arcano gratia nexu: DIGNA DIGNA IOVE, immo ter digna. Quam etiā trans æquoris æſtus, nullum mortis gradum metuens, ſed truci ratem pelago committens, ipſe ſibi claſſe petat ſereniſſimus noſter explorator, probator formæ, ac morum teſtis, ille ſuis oculis vidit, laudauit et probauit ſua vota, ſemel enim ceptus amor, major indies accreuit, flamma vero paulo acrius per artus incedēs, Regium paſcebat amorem, tandemque poſt longas variaſque remoras, dulcis ille et nimium expectatus hymen felici conjunxit fœdere dextras. Et genus, virtus, forma, ætas nubilis, promiſſa fides, tam arcto vos vinculo ſociauit: vt nulla dies, nulla temporis etiam longæua ſeries, veſtrum divellere poſſit amorem: fortunati ergo vos ambo, immo dicam amplius, felici tempore nati. Nunc Dei beneficio thalamis Regalibus et ſuperbis conjuncti, ſpem veſtram ipſa fouet mundi concordia, ceptis votiſque veſtris aſpirat indulget honori, fietque (Deo duce et auſpice) vt hæc veſtra concordia, nullis vnquam labefactata querimonijs, conjugium veſtrum ter felix canos ſeruet et producat in annos. Hinc ſurget

beata

beata proles: hinc ſceptrifero diſcendens Regum ſtemmate, auito in ſolio, antiquis dabit ſua jura Scotis. Nec amplius diuiſis, accedet læta pax Britannis: fauſtus, felixque Maïus verno tenerum pingens honore ſolum: cuius ſuauiſſima luce, hæc nobis acceſſerunt gaudia, hanc gloriam et ſummam noſtram felicitatem, nulla reuertentis ſæculi perennitas, nulla quantumuis longęua delere poteſt vetuſtas. Quod ſi originem, et generis ſeriem, (quæ eſt ex antiquiſſima Danorum proſapia) ſi parentes, ſi agnatos ſpectemus, habet Scotia, in quo fauſtis acclamationibus ſibi congratuletur, et de hoc matrimonio bene ſperet, ſi pręterita futuris conjungere licet. Teſtis eſt locuples, Margareta felicis memoriæ Chriſtierni, Daniæ, Noruegiæ, et Suecie Regis filia, Iacobo tertio, eius nominis Scotorum Regi illuſtriſſimo ante aliquot annos, in matrimonium Scotis imprimis ſalutare data. Teſtis felix memoria defũcti patris ſerenitatis ueſtræ, Frederici Secundi, ejus nominis Danorum Regis invictiſſimi. Teſtis Sophia mater, Palladis filia, virtutis, morũ, vitęque magiſtra, nullis vnquam nominibus ſatis laudata. Chriſtianum quartum, nunc Danorum Noruegiæ, &c. principem electum illuſtriſſimum majeſtatis veſtræ fratrem, optimæ ſpei principem quibus quæſo elogijs celebremus? is eſt qui virtutem et pietatis amorem hauſit cum lacte. Quid Daniæ proceres? a conſilijs Regijs, rebuſquæ gerendis præfectos? Quid ſupremum

can-

Cancellariū,magnum Thalaſſiarcham? cęteróſque viros nobiles,et grauiſſimos, ſummo conſilio,rerum adminiſtrandarū peritia,vitę, morumque integritate inſignes, commemorem? Quid generoſos et nobiles? vltimi veſtræ majeſtatis itineris comites in hanc noſtram Scotiam ornata claſſe Danica appulſos? Quibus quæſo nominibus commendabo? citius me dies deficiet quam oratio. Hæc ergo atque alia permulta cum longiore oratione indigeant,lubens prętereo,neque enim loci vel temporis hujus occaſio patitur, vt quæ dicenda ſunt, cum plurima ſint, eaque grauiſſima,vberiori oratione complecti: Quid ergo? Annon eam in Reipub.noſtrę felicitatem,ſuprema veſtra maieſtate regnante ſperabimus, quam prioris ſæculi exempla docuerunt? Speramus certe,et ſpem noſtram,veneranda hac,et auguſta præſentia, (quæ famam non minuit ſed auxit,) proculdubio confirmauit: ſupereſt tantum, vt omnibus modis, ſtudijs,et neruis,incumbat tua Maieſtas.Primum et ante omnia, in propaganda et promouenda dei gloria et religione Chriſtiana:deinde in Repub. noſtra,eiuſque politia,ritè, rectèq; inſtituenda,adminiſtrāda,et defēdenda: Sic enim facilè fiet, vt nunc imperij ſocia facta, mutuis officijs,cum Principe noſtro, populum veſtræ fidei commiſſum, juſtitia et bonis legibus defendatis et conſtituatis: Quod autem eſt noſtri muneris et officij, pro nobis et ſucceſſoribus noſtris,Serenitati veſtræ ſpondemus,fidem, obſequium

ſequium

ſequium, humilitatem, obedientiam, et fidelitatis juramentum, cujus majeſtati et imperio nos noſtraque, omni cum reuerentia ſubijcimus, Deus pro ſingulari ſua in nos clementia, cujus nutu imperia reguntur, Principum animi gubernantur: majeſtatem veſtram diu nobis ſeruet incolumem, tranquillam vitam, cum numeroſa ſobole, & felici in Chriſto omnium actionum progreſſu tuæ Celſitudini largiatur dominus, in hac vita: et mortali hac vmbra euaneſcente in cæleſtem illam gloriam quam electis ſuis conſtituit, recipiat:

Dixi.





Gui. Drũmond